

COLLECTANEA PHILOLOGICA III
Deodato Wiśniewski septuagenario oblata
Wydawnictwo UŁ Łódź 1999

Ignatius Richardus DANKA
(Lodziensis)

DE RERUM EUROPAEARUM DOCTRINA INSTITUENDA,
QUAE PRINCIPIIS INDOEUROPAEICIS,
LATINIS ET GRAECIS FULTA SIT

Europa non est huius generis terra continens, ut Asia et Africa esse solent, quas variae, alienae sibi incolunt nationes, origine, vultu, lingua, cultu, institutione perquam inter se differentes. Quamvis enim extremae Asiae incolarum: Serum et Tibetanorum sermones eiusdemque linguarum familiae partes esse a viris doctis demonstrentur, tamen religio utriusque gentis varia est, quam religionem variii quoque mores sequuntur. Adhuc magis ab his et illis fide ac moribus declinantur Iapones, alienam omnino linguam habentes. Quid cum ad Indos transimus, qui in parte terrae suae septentrionali Arii quidem origine sunt, sed religione adeo differunt, ut duas inimicissimas sibi civitates habeant (videlicet Indiam et Pakistanum). Quamquam eadem Neoindica, vulgo Hindica vocata, lingua loquuntur, qui se pro veris Indis habent, antiquis Indicis, ipsorum appellatione devanagaricis scribunt suas litteras notis ac prisca Sanscritica verba libentissime hodierno, quotidiano sermoni admiscent, Pakistanenses autem mutata religione institutioneque Mahometani facti sermoni cum Arabico, Turcico et Persico mixto Arabicas litterarum formas applicaverunt. Indiam meridianam administrative septentrionali iunctam incolunt Dravidi, qui omnino aspectu et lingua Ariis Indis dissimiles sunt et alieni. Nunc ad Africæ statum, queso, transeamus. In parte eius septentrionali Arabes numero praevalent, porro sub meridiem nigrorum Afrorum patent terrae et civitates. Quantum igitur una continens, cuius exemplo supra dictae Asia et Africa fuerunt, incolarum stirpe, sermone, more ac ritu variari potest! In ipsa India, si vis de sola huius Asiae partis incolarum religione tractare, polytheos hinduistas – multorum deorum cultores ac monotheos Sikhos et Mahometanos invenies, ad quos adde Buddhistas, Jinistas, Christianos et primigenios

Animicolas. Etiam aspectu valde Indi inter se differunt. Repraesentant enim Indiae incolae ita in statu integro ut in mixto tres speciei hominis sapientis varietates fundamentales: albam et nigram et cupream. Culturae varietas autem morum et vestium diversitate exprimitur.

Quamvis Europam etiam non una monolitha incolat natio, quae eadem lingua loquatur, eandem constantem observet religionem et ubique immutabilem habeat animum, profecto eiusdemque originis est sermo et cultura cuiusvis Europaeicae gentis. Variat hac in continente id, quod unigenum est atque olim unum fuit. Quae Europae relativa ita phyletica et ethnica ut culturalis et religiosa unitas per millennia durat, ea principalis est.

Ex contrario aliarum continentium: Asiae, Africae, Americanarum quam profundior antiquitas est, eo magis variat. Relativa earum continentium religionis culturaeque congruentia non ea est, quae per millennia apud consanguineas gentes excoleretur, at nuper advecta ab Arabibus aut ab Europaeis imposita est. Haud multa millennia at aliquot saecula durat et nunc plerumque per Europaeorum culturae, scientiae et artificii diffusionem cum Christiana fide propaganda iunctam fit. Quam culturae propagationem linguarum per omnes mundi terras continentis: Anglicae, Francogallicae, Hispanicae, Russicae dominatio sequitur. At horum in unum conformantium elementorum neque idem status est neque pondus idem valet extra Europam atque in oris nostris.

In vetustiore illa aetate culturae saxifragae, quam viri docti archaeologi ex Graeco palaeolithum appellant, etiam in variis Europae partibus tres fundamentales humanae speciei varietates: alba, nigra, et cuprea, aliter doctius leucoderma, melanoderma et xanthoderma ab anthropologis nominatae exsistebant: in venationibus vitam degebant ac vagabantur. Postea aetate culturae saxifragae recentiore, quae neolithum docte appellatur, duae subvarietates stirpis albae: Europaeam Septentrionalem vulgo Nordicam vocatam et alteram Mediterraneam dico, continente nostra dominari coeperunt. Quae nostris temporibus passim observantur, stirpis cupreæ et nigrae exemplaria albae multitudinis Europaeæ exiguae admixtiones effectae sunt. Is status iam ex neolithi tempore durat et parum mutatus per millennia continuatur¹.

Septimo ante Christum natum millennio primum in Thessalam, tunc in Haemi regionem, hinc versus septentriones et occidentem ex Asia Minore allata, quae antea in Palaestina ac terris ei vicinis exculta erat, agricultura in Europam pervenit. Mediterranei eam attulerunt advenae, qui Haemi

¹ De nuper post secundum bellum universum factis Nigrorum et Arabum etiam Asiatis additis migrationibus, quibus Anglia, Francogallia, Hispania, Hollandia et aliae terrae Europaeæ affectae sunt, obticuimus. Statum priorem non ita mutaverunt, ut maximi momenti eas esse putemus.

regionem ingressi, cum Nordicis mixti novae Arioveneticae, quae latius Indoeuropaea nominatur, sunt gentis propago².

Cuivis homini eruditio, immo potius litterato notae sunt Minoiae aedes Cretenses, quin etiam homo ille litteratus Minoia tempora maximi momenti ad Europae culturam promovendam fuisse paratus est palam affirmare. Cuius sententiam haudquaquam negaturi sumus, at multo potentiores, omnino fundamentalem vim – culturae Europaeae procreatricem iam in illis Thessaliae et Haemi primigeniorum agricolarum vicis, qui Cretensia palatia quattuor millenniis aetate antecedunt, sitam profecto detegimus. Quamquam ei vici minus quam Cretensia monumenta hodierno mundo nota sunt, obsoleta autem visu digna non habentur, ingratā nepotum doctrinā plerumque ignorantur, tamen ei ipsi vetustissimi vici ad omnis Europae culturam parandam maximam vim habuerunt.

Nam in iis Europaeae civilitatis initium positum est. Plurimarum Europae gentium manet hoc loco prisca radix. Hac in Haemensi et hinc Danuviana quoque in regione neolithicā aetas in aeneolithicā transiit. Primae pastorum atque agricolarum sedes structis ex ligno domibus his locis antiquissimā illā aerā conditae sunt. Ergo iam septimo ante Christum natum millennio et postea maiore etiam et finali vi quinto ante aeram nostram millennio principium culturae nostrarē Europaeae in his pastorum atque agricol arum vicis ortum est. In interamnis, fertilibus, luteo solo insignibus arvis triticum et avena serebantur. In pratis virentibus oves iuxta domitos ab homine boves pascebantur. Tectis muniti homines minus iam tempestatis rudisque naturae imperio subiecti erant. Ab earum saeva licentia quodam modo liberati, timere desinentes meliorem sibi fortunam parare potuerunt et sua iura ipsi praepotenti naturae imponere coeperunt. Primorum metallorum usus ortus est: auri et argenti, at etiam aeris. Iam figuli ollas, pateras et pocula de argillā facta variis picturis ornata igne coquebant. Inventa sunt

² De quibus rebus, agriculturam et gentis Indoeuropaea principium dico, amplius in opusculo, quod inscribitur *De antiquissimae Anatoliae incolis et eorum, quam cum aliis gentibus habeant, conexione*, [in:] *Miedzynarodowa komunikacja językowa. Materiały konferencyjne*, Lodziae 1987, p. 96–111. Ibi alii quoque auctores rerum supra dictarum periti citantur. Quod autem pertinet ad Indoeuropaeorum ingenitam appellationem aut tribuum Indoeuropaeicorum nomina, a me ipso in opusculo *Problem praojczyzny Indoeuropczyków* (De Indoeuropaeorum sede antiquissimā) „Rozprawy Komisji Językowej LTN”, Lodziae 1966, vol. 12, p. 112. Multo amplius et accuratius de re eadem K. T. Witczak, *O pervańcał'nych venetach* (De primigeniis Venetis), [in:] *Etimologia 1986–1987*, Moscoviae 1989, p. 107–114. Quae est versio Russica, Polonice autem *O pierwotnych Wenetach*, „Slaviae Occidentalis” vol. 46–47 (1989–1990), Posnaniae 1991, p. 274–287. Conferre etiam poteris eiusdem auctoris (sc. Witczak) opusculum: *Wenetowie i Ariowie w oświetleniu lingwistycznym* (De Venetis atque Ariis sub specie glottologica), [in:] *Materiały XVII Ogólnopolskiej Konferencji Młodych Językoznawców*, red. A. Otfiński, Bydgoszcz 1995. De scriptura neolithicā N. C. Renfrew, *Problems in European prehistory*, Edenburgi 1979, p. 180–182.

etiam ab archaeologis in regione Haemi temporis illius aeneolithi signa, quae aetate posterioribus Cretaeis litterarum linearium notis similia vetustissimae Europaeicae scripturae vestigia esse videntur. Oblivione obruta omnino erat posteris temporibus initiorum scribendi facultas, similiter ac linearis illa Achivorum scriptura, quae olim Cretae et Peloponneso nota, postea Dorum invasione quassata etiam plane evanuit. Aeneoliticā illā aetate in Haemi regione linum colebatur, linteā texebantur, de quibus quoque vestimenta suebantur. Omnes res, quae illis admirabilibus temporibus humanam vitam liberaliter locupletaverunt, restant adhuc etiam nunc durabiles et culturae nostrae partes fundamentales habentur. A priscis pastoribus, agricolis atque architectonibus olim inventa vocabula, quae eorum aeneolithicae culturae elementa, ut *lac* et *lanam*, *granum* et *aratrum*, *domum* et *fores* exprimebant, per millennia servata, a patribus filiis tradita, Indoeuropaeicarum nationum linguis nunc quoque propria adhuc vivunt et vigent.

Agriculturae periti Anatolici advenae in ipsum Europae limen, quod Thessalia format, transgressi cum indigenis brevi in populum unum coaluerunt. Hoc loco et porro in Haemi regionibus cultuum gentiumque compositio facta est, de qua Ariotheneti, saepissime Indoeuropaeorum aut Indoger- manorum nomine donati, orti. Ipsorum autem tribūs plerumque *Venetorum*, *Bhr̄ghontum* et *Ariorum* nomina ferre solebant.

Haec recens aeneolithica pastorum agricolarumque cultura mirum quantum ad Indoeuropaeorum populi valuit incrementum. Inde Ariotheneticae gentes iam quinto ante aeram nostram millennio res rusticās non desinentes at variis modis eas continuantes Europam per has occidentales, septentrionales, partim etiam orientales terras quas nunc post Italos et Celtas nationes Romanicae, porro Germani, Slavi et Balti incolunt, migraverunt.

Supra dictae nationes Europaeae, omnes oriundae ex Ariothenetis si non totam Europae terram continentem, profecto partem eius maximam et fundamentalem obtinuerunt. Quarum evidentissima, multifariam demonstrata similitudo non solum eadem origine et eadem culturali progressionē innititur, sed etiam eo facto confirmatur, quod Europaearum gentium communicatio numquam omnino interrupta est.

Etiam Hungarofinni, qui antiquissimis iam temporibus orientalem Europae partem incoluerunt, hac cum Indoeuropaeis, primum cum Ariis, tum cum Baltis, Slavis et Germanis, in communicatione per millennia manebant atque iam in principio non ita alieni cum tempore quum vultu et visu, tum eo magis cultu et moribus assimiles facti sunt. Ob vicinitatem, qua iuncti sunt, Europaei res nuper inventas, mores humanitate excultos, institutiones prospere introductas per saecula alii aliis tradere solebant. Quorum leges muneraque ita aetate praehistorica, ut antiquitate Romana, mediis aevis et nunc quoque – temporibus nostris similia bene sibi respondent. Olim rex

et *dux, flamen et auspex, pastor et agricola* ubicumque nostrarum gentium noti fuerunt, nunc autem proceres, qui vulgo apud varias Europae nationes *praesidentes, generales, episcopi, professores, advocati, medici* appellantur, omnium nostrae terrae continentis civitatum proprii similiter suis muneribus funguntur.

Recordemur nunc puerilium fabellarum, quae omnium Europaeorum liberorum propriae de amatissimis eorum heroibus et heroinis, ut illa de Niveola – regia virgine aut haec de Cinerella – iuvenis regii successoris sponsa, narrant. Reddunt hae fabulae primigeniam Europaei animi naturam, filiorum nostrorum teneris cordibus insitam. Id causae est, cur liberi nostri valde suas fabellas ament atque ad ludendum earum personas libentissime imitantur. Orientales fabellae, quamvis delectabiles, exoticum, alienum depingunt pueris puellisque nostris mundum. Defit eis illa vis, quae in fabellis nostris inest ac liberos ad earum argumenta imitatione repetenda concitat. Fabellae Europaeae communitatis nostrae elementa sunt. Quam communitatem litteris, musica, hominum aspectu, animalium plantarumque similitudine expressam sentimus Europaei omnes, sed varii varie.

Sunt, qui Europam pro maiore patria sua habent, alii contra patriae nomine solam civitatem propriam donant, res autem continentales ipsorum usu aestimare solent. Non satis tamen est communitatem Europaeam hoc aut illo modo sentire. Ut sincere hanc unitatem approbemus, cognoscenda nunc et intelligenda est eius vis nobis.

Scientia primum singulas res considerat, tum rerum summam integrat. Europa sui generis rerum summa est. Ut huius summae singulorum elementorum conexio melius explanetur, necesse nobis est novam disciplinam, cuius ope res Europaeicae omnes explicandae sint, creare. Vulgariter hanc doctrinam Europaeam europaeisticam sive eurologiam appellare audemus.

Constituta iam est rerum orientalium scientia, vulgo orientalistica vocata, cuius percopiosum argumentum sinit nos credere doctrinam Europaeam, quamvis nondum communiter appellata sit, per analogiam etiam exsistere. Quum enim rerum orientalium scientia Orientis: Asiae igitur partimque Africæ gentium historiam, linguas, litteras, religiones, culturam et artes perquirit, tum ea, quae restant et orientalia non sunt, ad Europaeam doctrinam nostram, ad europaeisticam sive eurologiam plerumque pertinent. Ceterarum, ut America Septentrionalis et Meridiana aut Australia, mundi partium notitia doctrinalis novis continentibus repertis creata cum Europaeorum repertorum rebus saepissime coaluit. Pro superficiali parte doctrinæ Europaeæ nostræ illæ postcolumbianæ res Americarum aliarumque coloniarum haberi possunt. Pro studiorum nostrorum fundo ipsa Europa cum omnibus suis antiquis hodiernisque monumentis et documentis esse debet. Quum rerum orientalium scientia adeo variarum origine et cultu gentium, ut harum in numero Arabes atque Iapones sint, historiam, litteras, mores

investigandos cohibet, tum eo magis rerum Europaearum communi gentium origine genuinaque commerciorum conexione coniunctarum singularis doctrina, mehercule, iure fundanda esse videtur.

Europaearum rerum doctrina, quae omnes culturae formas magno in continentis spatio per diuturnam aetatem sub finem novissimae conglaciationis incohata et usque ad hoc tempus durantem complectitur, secundum ipsam naturam composita est, quare nonnullis disciplinis humanis auxiliaribus adiuvari debeat.

Nihil refert doctrinam nostram compositam esse, quae enim doctrina, pro Iupiter, adeo integra puraque est, ut cognitionibus alibi conceptis non immisceatur? Omnes doctrinae ex aliqua parte secum miscentur, quamquam earum compositionis gradus varius est. Quaevis doctrina vicinarum disciplinarum elementa rapit, asciscitur atque absorbet. Et recte ita fit! Num astronomiam mathematicorum ac physicorum ope privatam imaginari possumus? Ceterum duae fundamentales atque ad doctrinam Europeam, aliter europaeisticam creandam utilissimae disciplinae, philologiam classicam et glottologiam Indoeuropaeam dico, iam in principio e diversis disciplinis compositae erant.

Ediscunt igitur iuvenes philologi classici traditionalem institutionem grammaticam Latinam et Graecam, cui additur a viris scientissimis – glottologis Indoeuropaeicis inventa utriusque linguae antiquae comparativa grammatica historica, cognoscunt item iidem scholastici scriptorum Graecorum Romanorumque litteras, Aegyptiorum, Persarum et Carthaginiensium res gestas, denique archaeologiam Etruscam. Fit igitur e pluribus unum ita in philologiae Romanae Graecaeque casu, ut in casu hoc novissimo eurologiae constituendae.

Sinite me nunc enumerare aliquot disciplinas, quae scienter modificate et adoptatae rerum Europaearum doctrinae partes fieri possunt. Hac sunt: Indoeuropaeicarum linguarum culturarumque studia comparativa, philologia classica sive Graeca Romanaque, archaeologia, anthropologia phyletica, historia, litteratura, philosophia, religionum scientia, ethnologia, humanorum civiliumque cultuum scientia, artium historia, scientia politica, geographia et oeconomia.

Haec enumeratio nequaquam clausa est. Sunt extra eam ceterae disciplinae a studiorum Europaicorum doctoribus nonnumquam usurpandae. Propositum, quod habemus, causa est, cur variae doctrinae autonomia privatae mutant parvam suae naturae partem in rerum Europaearum summam a nobis tractandam introeuntes. Exempli causa bellorum Neapoleonicorum³ historia afferatur, quae aliter Francogallis et Polonis, aliter autem Russis et Anglis videri solet. Alio quidem modo rerum Europaicarum studioso eadem

³ Neapoleone – Francogallorum imperatore actarum. Cuius ducis nomen „Neapolis leonem” significans etiam formis Napoleo et Neapolus redditur.

Neapoleonica historia parebit, qui latius et sine particulari commotione animi eam tractaturus est. Pro factiosa ira aequabilitas applicatur. Ad doctrinam rerum Europaearum excolendam novae adhuc disciplinae conformari aut transformari debent. Nempe novatis aut auctis disciplinis proprie explicandi sunt e factionibus exorti magni motus sociales, qui unicas vivendi modorum morumque mutationes primum ad Europaeas, deinde etiam ad extraneas gentes introduxerunt.

Europaeorum atavi aeneolithico iam aevo prisca illa et initiali magia neglecta multideam, quam virium naturalium promoverat cultus, excoluerunt religionem. Hac religione nata erat iam Indoeuropaearum gentium communitatis tempore philosophia, quae Graecā mentis acie elata est usque ad culmen Aristotelicum. Graecorum philosophia ignotam adhuc creavit scientiam, revelavit eius partes, interpretata est religiosas notiones, invēnit p̄aecepta nova, politicam edidit artem. Aeneolithi Europaei aetate regnum, quod oligarchia sequebatur, ortum erat. Societas tota olim publica divisa erat in partes tres: sacerdotum sive intelligentium, equitum vel ducis satellitum – militiae deditorum hominum, denique in virorum pecuariorum et agrariorum – penum producentium partem. Apud Graecos post regnum democratis et tyrannis apparuerunt, apud Romanos autem rem publicam principatus secutus est. In memoriam imperii Romani Germani, Russi et Francogalli recentiora imperia invocaverunt. Europa quamvis non peperisset in Iudea natam, lactavit tamen Christianitatem ac saltem ad Reformationis evangelicæ tempora proprii ingenii antiquis recentibusque bonis aluit et excoluit eam. Ascendens summum suae socialis, politicae oeconomicaeque elationis culmen edidit Europa minaces communismi et fascismi doctrinas. Ipsiſ Europaeis exploranda est harum potentissimarum animi constructionum origo, explicandus earum sensus, abominanda consectans confictionis, criminis, belli barbare bellandi, cladis captivitatisque crudelitas. Admiranda tamen est eximia, unica potentia illa, quam nisi contra se ipsos convertissent Europaei, essemus nunc fraternae concordiae memores, clariore Europaeorum nomine incluti hominum omnium beatissimi.

Nobis Europaee culturae heredibus pervestigandum est item, cur genuinae continentis nostrae religiones, multideae, tolerantiā insignes, diu concordissime sibi continuantes minus tolerabilibus orientalium gentium cultibus, postremo Christianitati cesserint. Itidem ut capitalismi sic socialismi quaestio ad studia Europaea nostra pertinet. Extra Europam eiusve efficacem vim quae restabant societas humanae, eae pari modo promotas publicas ordinationes arguentibus doctrinis praeditas, civicis motionibus memorabiles, nisi rarae, non confecerunt. Nonnumquam contactu institutae aut dominatione coactae Europaeorum socialia systemata simulant, quod haudquaquam fructui, at ipsarum cultūs morumque perniciei est.

Ergo nobis Europaeis pro re nostrā omnia, quae ad virtutes atque ad vitia pertinent, quae animo facta aequē ac de materie facta, pretiosa ac nequam, pudenda, famosa ac parum nota in unam novam doctrinam coacta conscribenda et unice explicanda sunt. Multa neglecta et oblitione obruta, olim atavorum propria – nunc heredibus carent. Attamen omne momentum, quod olim exstīt̄ aequē et id, quod coram nobis praesentibus exsistit, quum ad nos attinet, pariter nobiscum in universi aevique immensitate immortalitatem meretur.